





52

4

AUSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
*SERENISSIMI PRINCIPIS REGII*

FRIDERICI AVGVSTI,  
ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ

A  
STOICIS

AFFECTATAM ET ASSERTAM,  
*PRAESIDE*

M. GEORG. FRIDERICO *Böhmi*  
ILEBVRG. MISN.

IN

ILLVSTRI PROPTER ALBIM ACADEMIA

AD *JUNI. ANNI 1515.*  
PVBLICE SVB EXAMEN

REVOCABIT,

M. CHRISTOPH. BARTHIVS,  
ILEBVRG. MISN.

DISPVVTAT. II.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS AVGVSTI KÖBERSTEINIL.

4  
AVANTICUS  
RECITORS MAGNIFICENTISSIMI  
SCHOLAE IMPERIALENSIS RAGII  
FRIDERICI AUGUSTI  
AUGUSTIN  
STOICIS  
ALLEGORIAS ET ASSERTIONES  
GEORG FRIDERICI 34<sup>th</sup>  
HERMANN  
IN  
LUDVITPIROPHTIR ALTM VGYDAMI  
ET GYNAE ALTA MDCCLX  
TABEC 847 EXAMEN  
HISTORICUS  
HISTORICUS  
DISPARATAE II  
HISTORICUS  
HISTORICUS





## §. I.



T stemus, quæ in priori Disputatione deditus, Argumentis promissis, qualecumque ἐπίγεων pestilentum de tissimi de ἀποθέωσι erroris subjungere; Ob- Stoica a- jectiones nonnullas diluere; Harmoniam cum ποθέωσι Fanaticorum commentis ostendere; indeque quoad Ter- thematis nostri Utilitatem levi penicillo deli- minum a neare, Judiciumque de tota Secta Stoica eli- Quo ex- cere, in animum induximus. Feliciori vero minatur.

arbitramur, quam si primo stupenda hujus mutationis, Stoicis affe-  
ctatæ, *Terminum a Quo*, ut in Scholis loqui amant, paulo solicitori  
animo pensitemus. Certe, sive animam humanam tanquam substanciam,  
quatenus creatione est producta, sine respectu ad ejus deprava-  
tionem conteinplemur; sive corruptelis suis profundissimis & im-  
becillitatibus summis immersam intueamur: Ultraque consideratio, co-  
natum de Stoa Philosophorum ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse, indubitate ad-  
struit. Creaturam enim induere excellentiam Creatoris, plus quam  
Circæa metamorphosis est, inter ingenii febricitantis somnia referenda.  
Sed surdis hoc narratur τοῖς ἀπὸ τῆς σοφοῖς, semel præoccupa-  
tis facrima de Divinitate animæ humanæ, per purgationem ἀπὸ  
τῆς ὑλικῆς ἀρχῆς in suas pristinas sedes collocandæ, sententia. Po-  
tuissent tamen, si voluissent cordis intima sine blandimentis rimari,  
per palpabilem quotidiana experientia ductum suo ipsorum exemplo  
sat edoceri: *Intellectum* tam spissis ignorantiae tenebris natura obnu-  
bilatum, tot præjudiciorum jugis captum, errorum, dubitationum ac  
confusionum vinculis irretitum, ut de integritate, qualis in hominis

A

per-

perfectionem cadit, restituenda, omnis spes Φιλοσοφωτω occisa ac  
dejecta videatur; tantum abest, ut idem ad quandam Divinitatis præ-  
stantiam eleverit. Cognoscendi potentia tam graviter decumbente, quæ  
*Voluntatis* Sanitas speranda, ad intellectus moderamina ex Numinis in-  
tentione flextendæ. Excussis rationis gubernaculis, quo trudat libido,  
ruit, speciosis bonis capitur, distortis desideriis abripitur, propensi-  
nibusque effeminata quasi & infracta in transversum agitur, ut omni-  
bus etiam, per rationem sibi relictam conquisitis, medis frena pertina-  
citer mordeat, quid? haud raro ejiciat. Firmius autem ex lumine re-  
velationis hæc internecina mentis clades constat, dum ejus protervita-  
tes ad infausta sua incunabula revocantur, & quoad suas privationes &  
positivas adhærentias stylo Spiritus Sancti vivide depinguntur. Sed in  
hæc singula Zenonis Scholæ Magistris penetrare erat difficultimum.  
Quas enim de sui animi excellentia immoderationes fovebant ideæ, &  
inde subnatus subtilis Φιλαυτις pruritus, non permittebant, ut se ad  
agnoscendam suæ miseriae magnitudinem modeste demitterent: Acce-  
debat ignoratio labis connatae, cuius distinctam notitiam Paganus, nisi  
vis superior & lux supernaturalis accesserit, minime per solius ratio-  
nis vires acquire potest, (†) quicquid etiam alii hic magno conatu  
objicere frustra moliuntur.

### §. II.

*Quoad Terminum ad Quem.* Quæ cum ita sint, scopus, ad quem citato cursu suum  
Sapientem tendere volebat insania Stoicorum, eo minus obtinetur;  
quo difficilius esse, supra evicimus, hominem suas, quæ cum ipso  
statim nascuntur, debilitates profundas exuere, orbitasque huma-  
nitati fixas transcendere posse. Si tamen ναῦ ἀνθεπον velimus  
rem judicare; qualis est ipsis Deus, cuius conformitatem tam avide  
affectionat? En! cuius Unitatem destruunt, (††) Simplicitatem tollunt,  
(a) Aeter-

- (†) Conf. Magnif. D. Schmidii Prof. Lips Patroni ac Præceptoris nostri de-  
misse Colendi Disp. num peccat. Orig. ex natura sit demonstrabile?  
(††) Agnoverunt quidem δύτιον διτίων, Γεών Γεῶν, ναῦ ἀγαθότων  
ἀγαθότων, sed huic inferiores Deos diversi ordinis, status ac ope-  
rationis, licet unius essentia & aeternitatis subordinarunt, quos Simpli-  
cius, Epicleti Commentator, δύτια διγένητα ναῦ ἀντοκινά τα eisque  
cultu aliquo prosequendos existimat conf. pag. 202. seqq. Adde Rossalii  
Disquis. de Christ. Epicleti p. 16. Nec est, ut quis sibi a codicibus Epicleti  
procul



(a) Aeternitatem negant, (b) Immutabilitatem infringunt, (c) Omnipotencie capistrum injiciunt, (d) Providentiae vim inferunt, Liberatique

A 2

tique

procul dubio Christianorum manibus interpolatis imponi sibi patiatur. Sic in MSC. Hassnia reperto, ut plurima Eihnice dicta, Christiano stylo expressa immutataque: ita vocabulo θεωρ singularem Numerum tantum non semper suppositum deprehendit Clar. *Adrianus Relandus*, quod notat in *Epistolo suo studio Utrai. 1711. 4. edito Conf. Bibl. nov. P. XIII.* p. 248. Quod quondam *Athenagoras* in Legat. pro Christianis p. 57. Stoicos a πολυθεϊστητος virtute immunes reddere sustinuerit, procul dubio ideo factum, ut Gentiles, apud quos Stoicorum magna erat autoritas, in suas partes alliceret. Unde *Lipsius* aquam e pumice postulare videtur, quoties in hoc Argumento pro *Zenonis Sectatoribus* verba facere multum conatur, notatus ideo ab eruditis.

- (a) Non sine Divisionis imperfectione Dei essentia concipi potest, quamdui mentes humanae seu divinae aura απονεφωτια finguntur; id quod probe observavit *Velleius Epicureus* apud *Cicer. lib. I. de Nat. Deorum*, qui ideo Pythagoram, iisdem cum Stoicis inflantem tibiis, false perfricat dicens: *Non sicut distillatione humanarum animalium discipi ac dilacerari Deum: Et cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram, quod fieri non potest.* Et licet quis cum *D. Westphalo Poliatro Delitiano ex ejus Pathologia Demoniacâ quædam*, per distinctionem quandam incongrue conceptam, in favorem Stoicorum oblate sit: attamen ei a *B. Autore Disp. Vitteb. 1709. hab. de Deismo in Theosophia deprehensa*, satis factum esse, notum est, conf. §. 13. seq. (b) Substituendo Materiam Deo tempore æqualem, quod commentum ut satis antiquum, inque pene omnium Philosophorum Sectas irreptum: ita uberrima crassissimorum errorum seges. Ad hac ipsi animabus humanis, & quicquid ex Dei abysso centrali prodiit, aeternitas non deneganda; cum latuerint ab aeterno saltem δυάδει in Deitatis sinn, ex quo cum tempore, tanquam effluxiones certa ratione modificate dimanarent, suos in pristinos ortus tandem revocandas absorbendæque. (c) Deus, in quo aliquin nulla παραπλήσιη aut τροπής αποκλισις, mutationi obnoxius est, quoties substantias in se reclusas emanare facit. Taceo, quot & quantas mutationes ejus απόβισιas in his vinculis corporeis, sua prosapia longe indignissimas, patiantur. (d) Perseverat vafrities infernalis servientis ingeniosissimus quoq; Gentilium: *Deum non posse ex nihilo simili- citer pureq; negativo aliiquid creare.* Cum secundum *Democriti dicterium: μηδὲν εἰ τὸ μὴ ὄντος γίγνεται*: Et Antonini judicium Libr IV. §. 4. σοὶ δὲ τὸ μὴ ὄντος ἔρχεται, ὡσπερ μηδὲ εἰς τὸ γὰρ ὄν απέρχεται. Stoici ulterius somniabant, non posse Deum in Materiam, jam praesentem, pro lubitu sue potentiae, ceteroquin nullis limitibus circumscriptæ, vires exercere, nisi ad sit Materiæ capacitas & passiva aptitudo; quia essent

ex



tique parum honesta injiciunt vincula, (e) Sanctitati labem adspicunt, (f) Bonitati omnem gloriam denegant, (g) opus Creationis justo angustioribus cancellis includunt, (h) Cultus totius necessitatem frustraneum putant. (i) Miserum Idolum! quod tantis involutum imperfectionibus amasis suis relinquimus. Hinc neminem subeat admis-

ex ea sequentia necessaria nonnullae, a Creatore evitari nescia. Hinc Platonici, Stoicorum Patres, Deum non tam ποιητὴν factorem, quam δημιουρὸν fabricatorem vocasse dicuntur, ideo reprehensi a Theophilo Antiocheno vid. *Vossium* de Sæc. Philos. c. XII. §. 7. p. 70. (e) Ipsum Deum, qui est pars mundi, necessario cum Materiæ connubio maritata, compedibus ineluctabilis necessitatis & fati addringunt, in quo demistrando orium fecit nobis *Thomastus* de Stoica mundi exust. Disp. XIII. de Stoici fati malignitate, & *Buddeus* in *Analect.* c. 177. ubi contra *Lipium*, qui, ut excusat Stoam, in varias partes se vertit, differit. Conf. & *Vossium* de Orig. & progressu Idololatri. c. XLIX. Ex hoc impio de fato asserto alii quam pluri, in Dei Majestatem injurii errores, ceu ex equo Trojano prodiere, quos qui vellet vel iusta confectione eruere vel ad rationis lancem ponderare, eum Augia stabulum, Herculeo labore purgandum, sibi sumere crederemus. (f) Optime Sanctitati divinæ consuli posse credebant, malorum originis ignarissimi, si fingerent aliquod prorsus independens principium mali, Materiam, ut hoc modo absolvarent summum Numen scelerum causa: At vitaturi Charybdim in Scyllam præcipites ibant, sufferendo altera manu, quod altera Dei Majestati dabant. Cum enim secundum *Plutarchum* Materia sit ἀρρος μῆτε κακῶν ἐαυτῷ, μήτε σχηματίζειν τεφυκιά; sine dubio in Motore omnis culpa mali transferenda. (g) Brevissimis ostendit nexum & quoad bonitatem absolutam & relatan *Buddeus* l. c. p. 176. seqq. (h) Materia enim prima sua existentia ipsa sibi causa, non Deus Conf. que diximus supra lit. e. f. (i) Ex inevitabilitate rerum omnium necessitate, divina animæ origine, arrogantiæ perspicione: virtutem & Sapientiam, excluso Dei auxilio & gratia, in Stoicorum viribus esse positam. Allegandis locis supercedemus in re notissima: adducemus tamen quædam in §. seq. *Senecam* interim nondum dimittimus. Duo ejus testimonia inveniuntur in Epist. XLI. & XC. Sibi tamen, vitio ex proprio, *Anneus* noster contradicere videtur. Conf. Pref. nat. quæst. I. 3. & Ep. X. Pejorem vero sententiam animo ejus infessile, facile adducimur, ut nobis persuadeamus. In Ep. XCV. enim mentem de cultu divino clarius explicat: Quomodo sint dii colendi, inquit, præcipi solet. Accenderet aliquam lucernam Sabbathus prohibeamus: quoniam nec lumine Diis egent, & ne homines quidem deleantur fuligine. Veterum salutationibus matutinis fungit - - Deum colit qui nobis. Deus beneficia gratis dat. Errat si quis putat, illas nocere possunt, &c. Nam ob causam in Ἀθεων numeram a Clas.



admiratio, factuosum ἦν τῆς σοφίας conatura irritum evasisse, magnifice dicta & promissa in fumum & ventum abiisse, & cum Stoici ~~θεοτόκους~~ se esse crediderint, eos ne quidem perfectae humanitatis vestigia in se deprehendisse. Ast demus, has Deitatis Simias conclusiones, ex principiis eorum plano nexus erutas, pertinaciter amoliri, quod tamen sui memores haud facere possunt; qua ratione vero hanc de sequenda Dei æqualitate persuasionem mente eorum evelli posse credamus? Profecto Andabatarum more cum ipsis nos esse pugnaturos, quilibet censem, nisi munimentum, quod ipsis instar capitis Medusæ est, omni impetu aggrediamur, opinionem innuo de Dei essentia, per hoc universum diffusa, & inde fluente animarum *euosotia*: quibus feliciter destrutis columnis, Stoæ tam splendide ædificatae & exornatae compages maxima ex parte præcepis ruet; cum hoc pacto realis simum discrimen inter Creatorem & creaturam, in æternum non tollendum, Deique indivisibilitas solide adstruitur. Hoc vero cum ab iis, qui unquam execrandas BENEDICTI SPINOZÆ hypotheses, vel alius hujus furoris affanias refutarunt unquam, satis sit factum, nos jure ad hos lectorem remittere posse, arbitramur, ne videamur dapes, toties recocetas cum fastidio apponere, vel in Disputationis campum ingredi, quem emetiendi, instituti præsentis ratio non concedit copiam. Præstiterunt autem hoc Viri quamplurimi, impare licet successu. Sufficiat nominasse scripta B. MUSÆI, (k) B. RAPPOLDI, (l) Magnif. LOESCHERI, (m) BUDDEI, (n) ABBADIE, (o) LAMY, (p) BRANSCHERI.

## A 3

## DEBUR.

a Clar. Gundlingio in Declaratione de Atheismo Hippocratis contra Celeb. Gelickeum Prof. Med. Disburg. fuit relatus. Ex his pater Davidem Wedderburnum in Persio enucleato Amstelod. An. 1664. in 12. p. 40. gratis afferere: Stoicorum Philosophiam Christianorum de prece doctrina proximare; nec Plutarchum de Stoic. Contradic. c. 22. insongrue dixisse: Εἴπερ ὁ Θεός αἱρέτη μὲν ἐδίδωσιν αὐθόποις, αἱλα τὸ καλὸν αὐτούς πέπειτο. Πλάστον δὲ καὶ γύγειαν χωρὶς αἱρέτης δίδωσιν, εἰς αὐθελεῖ. (k) Disp. Tr. Theologico-Politici ad veritatis lucem examinati An. 1674. (l) Orationem inaug. contra Naturalistas, vid. ejus opera Theolog. a D. Job. Bened. Carpzov. edit. Lipf. 1692, Tom. I. p. 1386. seqq. (m) Prænotiones Theologicas var. in loc. (n) Spinozismum profligatum in Elem. Philos. instrum. Tom. II. p. 283. & Spinozismum ante Spinozam. (o) Traité de la Vérité de la Religion Chrétiennne Roterod. 1684. 8. 2. Volum. (p) Le nouvel Athéisme renversé, ou Refutation du Système de Spinoza 1696, 12. Par.



DEBURGII, (q) WITTICHII, (r) UPMARCKII, (s) STALKOPFII, (t)  
ANONYMI, (u) & plurium aliorum ex Theologorum pariter ac Phi-  
losophorum senatu, qui Atheismum in genere examinarunt, refuta-  
runt. Adderem FRANCISCUM CUPERUM, (w) nisi MORO, (x)  
non tam Spinoza confutator, quam explanator audiat, & telle  
MORHOFFIO, (y) plura ab eo non sint prolata, quam ab aliis in  
hoc malitia ludo ante signatae; ob quam causam lectionem ejus caute-  
susciendam esse, auctor est CHRIST. THOMASIUS. (z)

### §. III.

*Quoad Medium*. Medium, quod ad obtainendum essentiale cum DEO consortium  
statuebant Viri de porticu, procul dubio erat illud decantatissimum  
āπαθείας commentum, LACTANTIO arrogans dictum & furio-  
sum. Magna cum animorum agitatione in Veterum Scholis contra  
illud fuit pugnatum; nec minus fervide intra Ecclesiae cancellos, Hæ-  
reticis nonnullis indolentiam quandam & αναμένοντα de se jactan-  
tibus, de quibus Theologi. Recentiori ætate eadem opinio de affe-  
ctuum vacuitate suos invenit acerrimos oppugnatores, suos itidem  
Patronos invenit, qui eam partim defendendo, partim excusando,  
partim cum aliarum Sectarum Philosophis in gratiam revocando σύμ-  
βολa sua contulerunt. Horum nonnullos, GASSENDUM, RAP-  
POLDUM, HEIDERUM aliasque viri eruditи notant, quos in mitiori  
vocum evellere, tollere, eradicare sensu conciliationum semina frusta  
quæsivisse, in aprico est. Trahunt huc quoque AUGUSTINUM, OMEI-  
SIUS, loco infra citando, BLIDDEUS, RECHENBERGIUS (a) LI-  
PSIUS. Sed in verbis, ad quæ unanimi consensu provocant, rō for-  
taffis dubiam venerandi Ecclesiae Patris mentem satis prodit. Opponi-  
mus alium locum, in quo acerbissime in Stoicorum insaniam invehit:  
Pereant, inquit, Argumenta Philosophorum, qui negant in Sapientem  
caden-

- (q) Enarrationem Tr. Theologico-Politici edit. Roterod. Ae. 1675. 4. (r) Anti-  
Spinozam (s) Eloq. Prof. & Polit. Upsal. Athoemastig. 1709. 8. (t) Tres  
Disput. de Atheismo Spinoza & Dilp. de Spinozismo post Spinozam 1708.  
Grypsv. (u) L'impie convaincu ou Dissertation contre Spinoza dans  
la quelle on refute les fondemens de son Atheisme Amst. 1648. 8. (vv) In  
Arcanis Atheismidetectis. Roterod. 1676. 4. (x) Vid. Oper. Philos. Tom. I.  
p. 596. seq. (y) In Polyhist. Tom. III. Lib. V. c. I. §. 9. (z) In Cau-  
telis circa præcognita Jurisprud. Eccles. c. VII.  
(a) in Lineam. Philos. Civil. Part I. c. V. §. 7. pag. 25.

cadere perturbationem animorum -- nec Stoicorum vel quorumcunque similium consentiatur errori. Qui profecto quemadmodum reveritatem existimant vanitatem: Sic stuporem depulant sanitatem, ignorantes, sic hominis animum quemadmodum corporis membrum desperatius agrotare, quando etiam doloris amiserit sensum. (b) Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. BUDDEO, sagacissimo errorum Stoicorum indagatori, ut execuset Nostros, alio eodemque tutiori tramite ingredi placet; licet eadem vestigia dudum ante eum preflisse FRANCISCUM PICCOLOMINEUM (c) obseruemus. Svatet autem Vir laudatus, ut ex intentione Stoicorum primi motus es secundi & tertii gradus, συγκατάθεσον & οἷον vocant, probe propeque discernantur; id quod cum aliis, in primis Peripateticis in super habuissent, ad tantas dissensiones, re ipsa logomachicas, fenestram aperuissent, indeque concludit: nec errasse Stoicos, nec cum iis, qui μετριπάθειαν defendunt, re ipsa pugnare. (d) Reete: si nempe ex sensu & consensu porticus ita dicuntur; saltē testimoniorum harmoniam desideramus. Equidem nos ipsi, Stoicae Philosophiae Assertores Sapientem ita voluisse απαθῆ, rigidum, durum, exsensum, ut nequidem primos ictus ac pulsus animi sentiat, quod multi, pleno ore contra απαθεῖας decreatum clamitantes, depulant, eo minus credimus, quo dilucidius tota oeconomia Systematis Stoici & testantium consensu contrarium insinuat. ZENONI apud LAERTIUM πάθος est ή ἀλογος κίνησις. ANTONINUS in SIXTO Praeceptore laudat, quod fuerit απαθεῖας & tamen in simul Φιλοσογόνος (e) idemque Misericordiam adstruit, (f) cum SENECA, si vocabulo ludentem recte capias. (g) Idem alibi expresse dicit: Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, &c. (h) Commendat suo LUCILIO diligenter gaudium, (i) quod tanquam necessarium Virtutis consequens concipit; (k) esseque quandam affectionem inexpugnabilem rationi & virtuti afferit, quam alibi motum primum non voluntarium, quasi affectus preparationem & quandam comminationem vocat. (l) Clarius hoc evincit locus EPICTETI  
apud

(b) Tom. IX. op. fol. 404. cit. Thomasio in Schediasm. Histor. §. 51. (c) In Universi Philos. de Moribus grad. I. c. XXV. n. 18. seq. edit. Franckf. 1595. 8.  
(d) Loc. cit. p. 191. (e) Libr. I. §. 11. (f) Libr. I. §. 15. & Libr. II. §. 13.  
(g) Libr. II. §. 4. 5. 6. 7. de Clem. (h) Epist. LXXI. (i) Epist. XXIII.  
Conf. & Ep. LIX. (k) C. IV. de Vit. beat. (l) Ep. LVII. libr. II. de ira c. 3.

apud GELLUM, qui omnino evolvi meretur. (m) Quare SCIOPPIO,  
MURETUM, affectuum parentiam Stoicorum impugnantem, haud  
immerito vapulasse, arbitramur. (n) Interim tamen ideo Stoici malæ  
causæ suspicione non sunt eximendi. Sit ita, ut per opinionem, quod  
innumeris exemplis comprobari posset, intellexerint affectuum causam;  
vel cum CHRYSIPPO ipsas passiones per δέξας ψευδεῖς καὶ πρίστεις πο-  
νηπάς definiverint, qui ideo a GALENO depexus, a SALMASIO vero  
defensus fuit; & cum de affectibus loquuntur, speciatim inordinatos  
& a recta ratione aversos animi motus, omnino eradicandos, innu-  
ant: In eo tamen crassum errarunt errorem, quod απάθεια & inde  
deductas perfectiones singulas hominis potestati prorsus esse subjectas  
putaverint. O! inania misellorum, mire sibi placentium, somnia &  
deliria. Nihil tam difficile & arduum, quod mens humana non vin-  
cat, & in familiaritatem perducat affectua meditatione, nullique sunt  
tam seri & sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur, arro-  
gans SENECAE perfacio est. (o) ANTONINUS se ab APPOLLONIO  
Magistro didicisse, jactitat τὸν δὲ φύσιον ἡλγηθεώντες, id quod  
in eo tanquam in vivo exemplari conspectumfuisse, subiungit. (p) Ju-  
dicium de rebus delere, alibi assertit, in te situm est, (q) nemo id  
probibet. (r) Sublata enim opinione & phantasia, & acquisito vero  
de rebus judicio, απάθεια acquire, affectus autem tolli, unanimiter  
statuebant Stoici. Hinc alio in loco MARCUS noster admonet: Imag-  
inations dele: sape tecum loquendo, in potestate mea nunc situm est,  
ut nulla omnino in hac anima existat improbitas, nulla cupiditas, nul-  
la omnino perturbatio, (s) EPICTETI consensus sat passim, in En-  
chiridio imprimis est obvius. Et quid pleraque Stoicorum Paradoxæ  
aliud sunt, quam consecutiones, deridendo απάθειας figmento innixa,  
& αποθεωτæ male affectatae complementa? Arroganter adstruitur  
ab ipsis αὐαυαχτοῖαι, infallibilitas, num & omniscientia? inconcussa  
Virtutis absolute possessio, animus stabilem & inoffensum cursum per-  
petuo, etiam in summis cruciatis & tormentis retineas, in fortunæ  
tempestatis semper serenus, nulla nube temeratus, integræ libertatis,  
& id genus alia Sapientis, in cerebello Stoicorum tornati, quiq; judicante  
PLUTARCHO, εἰς ὁδοὺς γῆς, οὐδὲ γέγονε, pigmenta. En! itaque  
Medium situm, & prorsus adūvarov.

§. IV.

(m) Noꝝ Attic. Lib. XIX, c. I. (n) In Element. Philos. Moral Stoic. c. XXVIII.  
p. 71. seq. Mogunt. 1606. (o) Lib. II. c. 72. de Ira. (p) Libr. I. §. 8. (q) Lib.  
IX. 47. (r) Libr. XXII. §. 25. ad de Libr. VIII. §. 4. (s) Libr. IX. §. 9.

§. IV.

Equidem dubitamus, fore quandam, qui, porticus Sophos non quidem *absorptivam*, ut Mysticorum Schola loquitur, *cum Deo conformatem*, sed aliqualem *εκτύπα* cum *ἀρχέρυπῳ* similitudinem, imitando, salva & DEI & hominis substantia, assequendam intendisse, ob*jicit*; quo sensu GREGORIUM NYSSENUM *χριστιανοῦ τῆς θείας* Φύσεως μίμησιν dixisse, legimus. Assertions enim in priori Diff, congesta luce sua radiant, ut non nisi miserrime contorta, leniorem sensum pati videantur. Nec mitius loqui poterant Stoici, *ὑποθέσαι διάλευοντες*, ita argumentando: Sunt in nobis per originem, quam ex Numinis prosapia ducimus, Divinitatis semina, suffocata quasi ex mixtione cum Materia & exanimata; hinc nihil rationi convenientius, quam ut eadem, accedente assida cultura, Vitam & Spiritum recipiant, Divinitasque in nobis restauretur. Verum enim vero sit ita, regerit tamen aliquis: Hæc singula de *conatu possibili*, non firma persvensione accipienda esse, dum Stoici *τὴν θεότητα* sibi proposuerunt, tanquam exemplum sine exemplo, ad quod exprimendum quilibet contendat, licet a nemine unquam exprimatur, & præ se videns vias difficilmas, plus laboris, studii & vigilantia adhibeat. Ita LIPSIUS Stoicam jactantiam temperare molitur, licet omnino nubes prensare videatur. Sed esto, inquit, *sint praedita*: quid vocari ad ea nocet non pertineturum? ut is, qui exemplar sibi proponit, emendatissimum capit, et si infra illud consistat: tale hoc est, audiamus optima, audeamus optima, et si imbecillitate hac insita retrahamur. (a) At enim vero, qui sibi Perfectissimum Deificatorium, seu centrum & ultimum suæ Sapientiae fastigium eligunt, illius assequendi fiduciam habeant, necesse est; cum omnino *ἄτοπον* stultumque censetur, rem sibi maxima animi solitudine mediorumque apparatu pro portu proponere: de ea tamen obtainenda penitus desperare, & secundum omni mentis fervore inculcare, thrasonisque promissis jactare: eundem tamen supra virium humanarum modulum existimare collocatum. Sit ita: Sapiens consilio interdum sibi capit exemplar, quod supra absolute imitationis sphæram positum esse novit; sed nunquam cum inani persvensione, illud qua præstantissima sua attributa prorsus æquandi, quod ineonsultum, temerarium, & frustraneum, aut, ut delirat SENECA, antecedendi: verum idem quadanterus

B

exprim-

(a) Libr. I. Disp. XV. Manud. ad Philos. Stoic.

Tres Ob-  
jectiones  
dilun-  
tur.



exprimendi; cum utique sit tutius, eligere optimum & perfectissimum, imitari gestientes, fallaci spe non facile delusurum. Sane confidentius, quam credit LIPSIUS, Stoici de hoc suo θεοποίησεως instituto mentis suæ recessus explicant: Omnino fieri potest, MARCUS noster constet, Θεος ἀνθρακεώς. (b) Tum iter est, jucundum est, ad quod natura Te instruxit. Dedit illa tibi, qua si non deserueris, par Deo surges, SENECAE est judicium. (c) Idem alibi: Multis videremur majora promittere, quam recipit humana conditio; non immrito: ad corpora enim respiciunt, revertantur ad animum, jam hominem Deo metentur. (d) In corporibus humanis semina divina dispersa sunt: que si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta, surgunt &c. (e) Conferantur loca in priori Disput. §. 4.5. 6. & quæ infra mox in medium adducemus. Adhæc minime cum prudentiae didacticæ regulis convenit, rem obtentu difficultatem, suæ fidei ac curæ creditis, difficultorem reddere. Metuendum enim, ne prius animum abjiciant, quam operi manus adferant & temporis pretiositatem frustraneis moliminiibus perdant & terant: Potius boni Magistri est, instar coquorum, cibos austeros & amaros diverso aromatum genere scite condientium, difficultates metuendas variis levamentis, fletis etiam, emollire, & si in ipso cursu Sapientiae alumnus fuerit, novis eundem stimulis provehere & firmare. Et verè si ipsos Stoicos consulamus, eis omnia plana, pervia, facilia. Non arduum in virtutes, SENECA dicit, ut quibusdam visum est, & asperum iter est, plana adeuntur. Facilis ad beatam vitam via &c. (f) Et cum, adstructa πταθεία, objectionem amici proposuisset: nimis magna, Vos Stoici, promittiatis, nimis dura precipitis. Nos homunciones sumus &c. Respondet: Scis quare non possumus ista? quia nos posse non credimus; paucisq; interjectis: Satis natura homini dedit roboris, si illo ut amur, si vires nostras colligamus ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in causa est; non posse pretenditur. (g) ANTONINUS Imperator: οὐκέπολον απόσταθμα καὶ απολεῖψιν πάσαν φεντασίαν ἐχληράν, η ἀνέσειν χειρούς θεούς εν πάσῃ γαλούχιναι. (h) Eundem breve temporis intervallum mutationis Desificatoria, diem scilicet decimum, licet id per Tropum exprimat, statuere, supra observavimus. (i) Hinc

(b) Libr. VII. §. 67. (c) Epist. XXXI. (d) Epist. LXXI. (e) Ep. LXXXIII.

(f) Lib. II. deira c. 13. (g) Ep. 116. (h) Lib. V. §. 2. (i) vid. Disput. prior. nostra §. 6.

Hinc PLUTARCHIUS mire perstringit & exigitat hanc Stoicorum tam  
substantia metamorphoseos fiduciam: *Qui heri, inquit, infensissimus &*  
*peſſimus, hodie ſubito mutatus eſt in virum bonum, atque ex rugoſo*  
*& pallido & miſello ſilicernio decorus, Dei ſimilis, forma extima.* Is  
qui manu fuit deterrimus, sub vesperam optimus eſt: & qui ſomno ſe  
dedit ſtolidus, ineptus, iuſtus --- Non ille barba aut puberitate  
nota in adolescentia & tenero corpiſe ſed in imbecilla, teneraque ani-  
ma, adde affeminate & inconfiante adeptus mentem perfectam, ex-  
treme probam prudentiam, affectionem divine aequalē, ſcientiam,  
ab omni opinione purgatam, habitumq; qui labefactari nullo queat mo-  
da, & repente heros aliquis, genius, aut Deus ex beſtia factus peſſima. (k)  
Et ARISTOTELES: *μία χειρὶδαν ἔας & ποιεῖ, οὐδὲ μία ήμερα· οὐτώ δὴ*  
*οὐδὲ μακάριον καὶ ἐνδιάμονα μία ήμερα, οὐδὲ ὀλίγος χρόνος.* (!)

### §. V.

At enim temeritatis forſitan nota dignum, dogma improbare, quod *Dubium*  
iſpla sanctissima revelatio καὶ τὸ ἥπτον commendare videtur, dum *quartum*  
urget ἀνακύωσιν καὶ εἰκόνα τῆς οὐταντος ἀνθερωπον: *κοινωνίαν τῆς* *remove-*  
*Θείας Φύσεως* fidelibus ex unionis Mysticæ beneficio promittit; *μετα-*  
*μόρφωσιν* (καὶ) τὴν εἰκόνα τῆς χριſτοῦ ἀπὸ δόξης ἐις δόξαν confir-  
mat, cetera. Haud leve in his & aliis argumentum extorquet Celeber.  
OMEISIUS, (a) Stoam Zenonis impurissimam cum sancta Salomonis  
Portici in gratiam reducendi, ne tantæ celebritatis Philosophi infra  
Spiritus S. veritatis sphæram ſapiuisse videantur. Verum condonemus  
Viris, inter lucem & tenebras pacificendi, & διὰ διὰ πατοῦ distantia, non  
ſine tacito in caſtra Ethnicorum transfugio, conciliandi ſtudium. Qui  
enim hoc animo paganorum ſcripta ingrediuntur, aequo minus veritati  
ſemper litare poſſunt, ac *Paganisini Exegetici* fautores; (b) cum capita-  
lius ſit profanæ ſtultitiae & divinæ ſapientiae odium, quam ut bona fide, &  
ſalvis utriusq; decretis, conciliari poſſit. Evidem *Patres Ecclesiæ* permul-  
ti præpoſteræ hujus concordia non immerito a prudeſtioribus inſimu-  
lantur; ad quam tamen tentandam, cauſe eos impellebant, quas intentio  
B 2 minus

(k) In Stoic. Paradox. p. 1057. E. (l) Ethic. Lib. I. c. 7.

(a) In Disp. de Stoicorum Philof. morali sobria eorundemque placitis cum  
Christianismo convenientibus §. 6. (b) Vid. cui copia eſt, B. Neumann  
Colleg. Hermeno. Mſt. Proleg. §. 15. & Pracell. Viri de Elſebiſch, Fautores  
noſtri maximopeis colendi, Disp. de Critica recentiorum in N. T.  
§. 10. Witteberg. 1711.

minus dishonestas, eventus autem tristes, Ecclesiæque fatales comprobavit. Curiosa LIVI GALANTIS, MORNÆT, STEUCHI, MUTHI PANSÆ, POSTELLI molimina cordatioribus non probantur, tetros Ethnicorum morbos vel palliandi, vel sanitatis convenientiæ que cum doctrina revelata specie nobis obtrudendi: quod institutum quam perniciosum Ecclesiæ, prudentioribus invidiosum & Christiano pudibundum, egregie declaravit JOHANNES BAPTISTA CRISPVS Gallipolitanus, (c) cui non possumus non THOMASII judicium observatione cujuslibet, puræ doctrinæ studiosi, dignissimum addere: *Hoc si veteres, inquit, quidam studiosius paulo perpendissent, speciosisque consiliis, qua gentilem Philosophiam cum sana religione componere suadebant, salutaria prætulissent; futurum erat, ut simul non ipsos modo gentilium errores, sed illud quoque Temperamentum Syncretisticum, quod ex confusione cœlestis doctrina cum profana tertiam quandam gignit, neutri per omnia similem caverent.* Multæ sic poterant præveniri tum opiniones minus commode, tum heræfes quoque manifestæ, qua formosum alias Ecclesiæ corpus sive ut navi dishonestarent, vel ut ulceræ inficerent. (d) Etenim quam impio sensu Secta Stoica, Atheismi, Deismi, & Enthusiasmii fordibus penitus immersa, dogma hæc tenus examinatum accipiat, supra notavimus: quo autem Christianæ fidei confessores, horumque γνωσίως Lutherani, solide demonstrarunt, qui ὑπερέπωσι τὸν θυμωνίτων λόγων, quo audentius etiam alii contra iverint, invictis rationibus nunquam non servarunt. Præter alios tector, quorum peculiares meditationes, Systemata cuilibet nota prætermitto, ad manus in præsenti habemus B. WALTHERUM (e) & Magnif. WERNSDORFFIUM, Patronum ac Præceptorem nostrum observanter Colendum, cui ut Deus ad cœlestiendam Ecclesiæ orthodoxa καλήν παρακαταθήκην vires quam diutissime indulget, ὀλοψόχως precamur. (f)

## §. VI.

*Parallelis-* Deploravit Ecclesia antiquior cruenta damna, quæ hic cœcus pa-  
*mus cum* ganæ stoliditatis amor & intempeste tentata concordia veræ fidei sue-  
*Fanatico-* cessibus infixit, nostra vero graviter adhuc perfensit. Ad imbre-  
*rum,* Plato-

(c) de Ethnicis caute legendis Philosophis Rom. 1594. vid. Thomasius de Stoica mundi exultione Thes. XIX. p. 10. seq.

(d) Loc cit. Thes. XV. pag. 16.

(e) De Θεῖς κονσεντρικοῖς φύσεως ex 2. Petr. I. com. 4. Vitteb. 1689. recuf. 1709.

(f) De Communione fidelium cum Deo & inter se se Vitteb. 1709.



Platonicum nullo non tempore quam plurimas hæreses ubertim pro- idem do-  
germinasse, nemo, nisi qui ex Ecclesiæ annalibus & historiæ Philoso- centium,  
phicæ amoenitatibus animum hospitem retulerit, in dubium vocare absurdis,  
sustinebit. Ex Stoa parem certe, haud multo minorem, quam ex ludo institui-  
Platonis prorupisse hæretorum multitudinem, demonstravit B. tur.

NEVMANNVS, (a) inquisivit BVDDEVS. (b) Persequitur ille, bea-  
tissimæ memoriae Vir, multa dogmata heterodoxa, horumque compa-  
rationem cum Stoicorum deliriis instituit. Nos his merito adjungimus  
insanum ἀποθεώσας scitum, quod antiquiores pariter ac recentiores  
Fanaticos Stoicis insimul in acceptum referre, æque verum est, ac eos-  
dem alia dogmata ex hortis eoru deceptissime, viri eruditæ demonstrarunt.  
Characterem enim novaturientium proprium observamus, malle cum  
ZOROASTRE, PYTHAGORA, PLATONE, & ZENONE τεραλογεῖν  
& καθ' ὑπεροχὴν λόγῳ aut σοφίᾳ loqui, quam cum viris Θεοπνέυσοις  
simplicitate verborum ac sensuum humilitate acquiescere. Personant  
Fanaticorum officinæ, nescio quibus Barbaris & Spagirico-Hermeticis  
loquendi formulis. Multa ebrii blaterant de Invisceratione, absor-  
ptione in Esse divinum, liquefactione, abyssali cum Deo idemifica-  
tione, transelementatione, transubstantiatione, annihilatione sui Esse  
in Essentiam Christi, confiricatione Deistica, colligatione, immersione  
in Spiritum increatum, divinisatione, unione superessentiali; in pro-  
fundam Deitatem abyssum immersione, & que sunt alia γνῶσεως Φευ-  
δανύς αντιθέσεις & βέβηλοι κενοφωνias a Magnis SONTAGIO ex  
parte collectæ, (c) ab aliis vero orthodoxæ fidei vindicibus, dudum  
funditus explosæ & excusæ (d) quorum accuratiorem inquisitionem  
vel suscipere, vel testimonii GNOSTICORVM, RVISBROCHII,  
WEIGELII, STIEFELII, METHI, JORIS, BOEHMII, LEADIAE,  
DIPPELI, SEB. FRANCI, ARNOLDI, PETERSENII, ceterorum illu-  
strare, dedignamur, ne videamus vagando, partes Theologo-  
rum occupare; sufficiat in præsentia hæc levi, ut dicunt, bracchio tetigisse.

B 3

§. VII.

[ (a) De Christianis Stoic. s. seqq. (b) Analect. p. 96. seq. & p. 170. (c) In Vo-  
cabulario Pseudo-Mystico Altiorff. 1711. 4. (d) Magnif. Fechtii de Christo  
in nobis Disp. Wernsdorff College. Anti-Fanat. MSt. Art. de Homine  
qv. 2. Disp. Summe Rev. Scheringii Præf. Kemb. meritissimi sub mode-  
ramine B. Neumann hab. Vitreb. 1706. de ἀποθεώσει Fanaticorum, Rum-  
pauis de quæst. utrum homo fidelis de se possit dicere: Ego sum Christus.  
Griphsv. 1707. apud quem autores, huc facientes, magno apparatu adfe-  
runtur, ideo a nobis prætermittendi; in primis etiam quæ ad recentissimas  
in hoc Argumento controverbias faciunt, ibidem invenire licet.



§. VII.

*Ex his fin-* Omnia hactenus a nobis in medium allata, qui secretiori animo  
*gulis qua-* perpenderit, facilissimo negotio de *lū nostrā tractationis*, causisque,  
*triplexno-* qua nos ad ingrediendum hunc campum moverunt, ferre poterit. Sim-  
*brithema-* pliciter leviterque, angustia temporis exclusi, edisceremus. I. Splendi-  
*tis utilitas* dis nova in dies in Ecclesiæ communitate molientium doctrinis larvam,  
*elicitur.* affabre adaptatam, detrahimus, easdemque suo in nativo habitu craf-  
*toris Paganismi* spurcitie deformato, in conspectum ducimus: id  
*quod pertinacioribus* saltem in opprobrium, flexioris ingenii in con-  
*victionem*, simplicioribus in cautionem, Sapientioribus in confirmationem. II. Cavemus, ne nos pruriente quadam in τῷ οἴκῳ Φίλοσό-  
*φω* curiositate abripi patiamur; dum nempe edocemur, rationem  
*Paganorum* turbine depravatissimi amoris, in seipso redundantis, &  
*fastus* subtillissimi de sedē sua deturbatam & Labyrintho immisam,  
*in quo*, filo Ariadnæ neglecto, ex uno absurdo in alterum errabunda  
*prolabatur*; hincque detestari occipimus dogmata immaniter profana  
*in commodiorem Spiritus Sancti sensum* detorquendi studium. III.  
*Discimus* devitare scopolos valde periculosos, quibus in examinandis  
*moratorium Gentilium virtutibus* allisi, easdem cum virtuosis Chri-  
*stianorum actionibus*, quæ ex gratiosa Spiritus Sancti operatione pro-  
*cedunt*, pari passu ambulantes, ideoque æterna beatitudinis præmis-  
*dignas*, ἀτεργάτης pronunciaverunt. Testimonia Patrum, huic sen-  
*tentia* haud obscure patriconiantum, ingenti quasi agmine, adducit  
*Gallicus* scriptor, loco infra a nobis citando, MOTTEVS VAYE-  
*RIVS*, STEPH. CVCCELLÆI Arminiana Religionis Theologii, teme-  
*ratias de salute* Gentium sententias, ex Reformatis SAM. MARESIVS,  
*(a)* ex nostraribz B. MVSEVS, *(b)* impugnandas sibi felici successu  
*fusceperunt*; MOYSI AMYRALDO, Pastori ac Professori Salmuriensi,  
*non tantum* PETRVS MOLINÆVS, *(c)* sed & varie Synodi Galliæ  
*nationales* se opposuerunt; PVCCII, THOMÆ BROWNE, EDV-  
*ARDI HERBERTI Baronis de CHERBVRY, ERASMI, ZWIN-  
*GLII, RVDOLPHI GVALTHERI, MALDONATI, ANDRADII,*  
*aliorumque devia in hoc controversiæ argumento placita, etiam iis*  
*funt**

- (a) Conf. Defens. Fidei Catholice.* *(b) In Disput. an Gentiles absque fide  
 in Christum per extraordinariam Dei gratiam ad salutem æternam per-  
 tingere, aut minimum ignis æterni supplicium declinare possint. Jen. 1670.*  
*(c) vid. Elucidar. Controversi. Salmuriensi. Sect. VII. c. l. seq.*

funt notissima, qui vel primo limine harum rerum sedes salutarunt. Interim si recte calculum velimus conducere, edocebimus indubitate, Gentilium actiones rarissime vere virtutum naturalium titulum mereri, plerumque ex venenato fonte, ratione scilicet corrupta, affectu prædominante, fineque pessimo propullulantes; tantum abest, ut in virtutum, salute cœlesti donandarum, cœnum veniant. Nec tamen velim ideo rationi, radix revelationis non colluistratæ, omnem vim virtuosam in suo, ut loquimur, genere denegare. Acutissimus pariter ac elegantissimus autor Dn. FLECHIER in aureo libello (d) negotium suscepit laudatissimum: in hoc tamen, quod viri magni pace dixerim, rigidus videtur, quod *divaui naturæ rationalis* infra fortē, quam adhuc etiam ex lapsu prævaricatione habet residuam, præter jus fasque deprimat, moratissimorum etiam Gentium actiones reddendo suspectas. IV. Habemus in promptu, quo in primis eos retundimus, quos virus præjudicatæ opinionis de excellentiâ, pietate, soliditateque Philosophiæ Stoicæ afflasse novimus.

### §. VIII.

Profecto dulce nomen in expertis *Zenonis Schola*. Et omnino *Judicium extra omnem dubitationis aleam* est positum, Stoicorum dogmata tandem non singula, si ad portentosa sua *Principia* non accurate revo- *tota Secta* centur, sed vel extra nexus ordinem in consulto arripiantur, vel cum *Stoica fano* & pio respectu ad phrases, in S. S. eodem sono prolatas, accipiantur, in admirationem & venerationem non possunt non quemlibet facile rapere, eique *ὑπέρστοφα* & humanæ sapientiæ modulum *ὑπερβασίαν* videri. Verum ad fontes suos, uti par est, reducta, stuporem iniiciunt, paganæque impietatis arcanæ ubique spirant. Seduxit procul dubio hic fucus viros ex Theologorum pariter ac Philosophorum ordine quam plurimos, De HIERONYMI judicio dicentes: *Stoici dogmati nostro in plerisque concordant, tautemq; ad dogma nostrum & pietatem ducunt*, (a) *Sectæ Stoicæ adulatores & Patroni singulariter sibi gratulantur illudque ubique crepat*. GATACKERVS in eandem ingreditur sententiam (b) additque rationem; *cum nulla Secta comperta sit, qua pietatis ac virtutis studium exercitiumq; aut pluris faciat, aut alius evehat, aut fortius spiret, aut acrius urgeat, aut penitus &c.* Exhibit idem Vir doctissimus totius doctrinæ moralis Stoicæ summam

quasi

(d) *De la fausseté des vertus humaines.*

(a) *Comment.* in Jes. X. (b) *In Præfat. ad Antoninum.*



quasi in nuce, quam, si fugitivo oculo perlustres, Christianorum fidei Articulis palmam dubiam reddere posse, arbitrariis. JOH. NICOL. HERTIO quidem eadem sententia insidet; Impuritates tamen quasdam in Stoicis improbat & notat. (c) *La Seſte Stoique*, his consentiendo inquit MOTTEVS VAYERIVS (d) a le plus de convenance avec le Christianisme, ou tant de glorieux martyrs ont souvent témoigné, que la joie & le contentement n' estoient pas &c. Quod iudicium justo altius omnino conceptum, si cum eo capitales errores, a Stoicis in doctrina morali respectu Dei & animæ humanæ enormiter commissi, notatique ab ipso Viro Clar. accurate conferantur; ut taceam temerariam & ποδεύσεως acquirendæ molitionem, inter quam & audacissimum Luciferi conatum, oppido congruam instituit comparationem. SCHEVRLVS optat, ut ad banc masculam sapientiam passim in Academiis *Juventus Studiosa* haud paulo diligentius, quam vulgo fieri amat, se conformaret (e) Verum tuitiora, solidiora & sanctiora habemus, quam ut tenerima, Juventuti, quæ, quid distent æra lupinis, ignorat, idea valde periculosæ instillentur, de quibus valet illud: *Quo semel est imbuta &c.* SCIOPPII vota eodem redeunt. (f) HEINSIVS potius *Oratoris* partes expletivæ, quam *Philosophi* αὐπὶσιαν adhibuit. (g) Evidem non sum tam iniquus rerum estimator, ut velim Philosophiam Stoicam ad Garamantes relegatam. Multa habet accurate dicta pariter ac utiliter, quæ singulari admiratione amplector cum que delestante lego; sed nonnisi in iis, quæ sunt extra nexus cum exercandis eorum Principiis. Objicitur: Eruditis Conclusiones invitisi sape obtruduntur. Ast: Stoici dogmata, fundaventis suis domesticis nixa, non semper abominantur sed audaēter assertunt: Fingas vero contrarium; attamen veritas studiosus non linguam sed animi recessus, non sonos verborum sed rerum pondera Systematisque connexiorem, quam haud dubio Stoici prætendunt, attendit. Præterea spinosum Stoicorum dicendi genus, vocibus ludibendum, (h) flexuosis captionibus & argutiolis exuberans, abruptum, & perturbatum, incautos facile potest seducere. Unde contradictiones insignes: quod enim hodie incautius, illud cras circumspectius pronunciant: Id quod, num ex sola ignorantia & Systematis sibi non constantis *civio*; num ex *usfricie*; num ex *nitione*, sibi relicta meliora extorquente, fiat, decidendi non suppetit spatium.

F I N I S.

e) in Jur. univ. S. I. §. 33. d) de la vert. des Pay p. 605. e) Bibliog. mor. §. 106. f) in Element. passim. g) Orat. IX. h) Werenfels de Logomachis Erudit. Diff.

g4 A 7380



June 1999 VD 17

TT





AVSPICII  
TORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII  
FRIDERICI AVGVSTI,  
IOΘΕΩΣΙΝ  
A  
STOICIS  
ECTATAM ET ASSERTAM,  
PRAESIDE  
GEORG. FRIDERICO 3schaw  
ILEBVRG. MISN.  
IN  
STRI PROPTER ALBIM ACADEMIA  
AD JUNII. ANNI 11, 1715.  
PVBLICE SVB EXAMEN  
REVOCABIT,  
CHRISTOPH. BARTHIVS,  
ILEBVRG. MISN.  
DISPVAT. II.  
VITEMBERGAE,  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINI.